

*Nep. Cat.*

plina servandis posuisset vixissetque diutius, in senectute defensor quoque ac fautor Latini sermonis contra Graeculos exstitit. In municipio Tusculo, quod in Latinis est, anno quingentesimo vicesimo primo post Romam conditam, Q. Fabio patre ortus, qui Tarentum recepit, in heredio sua ipsius manu colendo primam vitae partem consumpsit, praeter tempus quod muneribus militiae dedit. Nam bello Punico secundo stipendia merens interfuit; deinde pugnis ad Metaurum atque cum Scipione ad Zamam. Rus, in quod se post militiam actam receperat, L. Valerii hortatu reliquit, Romamque cum se contulisset, vir iam patre, avo, maioribus suis dignissimus, in fori curriculo se tamquam athletam exercuit. Magistratus deinceps omnes per gradus obtinuit; quaesturam, P. Cornelio Africano consule, tum praeturam in Sardinia, quam occupavit, tum imperium exercituum, qui in Hispania erant, et in bello contra Antiochum; quibus in muneribus fungendis tantam sibi prudentiae constantiaeque laudem comparavit, ut inter civitatis principes habitus sit deque principatu cum Scipionibus contenderit. Cum valde senex esset, tanta severitate censuram gessit, ut Censorius a posteritate nominaretur. Muneribus reipublicae functus, cum iterum se in studiorum umbraculis abdidisset, in senectute linguam Graecam didicit. Nec tamen in senatu esse desiit, ut iisdem usque verbis ad patrum aures illud *ceterum censeo Carthaginem esse delendam* identidem decantaret, idemque molestior quam antea in corruptos civium mores inveheretur. Hanc ob causam eius nomen ad gravem, constantem, rigidum, integris moribus quemque hominem significantum apud Romanos « *θετικόν* » acceptum est, ut apud Graecos Socratis nomen in exempli consuetudinem ad id idem indicandum usurpabatur.

Immortale nomen et famam, quae in muneribus publicis administrandis comparaverat, litterarum quoque laude cumulare exoptans, nihil inconstantiae notam veritus, cum iam aetas in senium inclinaret, litteras Graecas, quas oppugna-

*Catonis laudes apud Cic. de Senect.;*

*III. de Orat.*

33; *Liv.*

*XXXIV. ab.*

*Urb. cond. 18;*

*XXXIX., 40*

*et 42; Plin.*

*VII. Nat.*

*Hist. 27, 28*

*alibi; Val.*

*Max. mult. in*

*loc; apud al.*

*Cic. de Senect. 8.*

verat, sic avidè arripuit itaque didicit, diuturnam ac si sitim explere arderet, ut ex illis statim solutae orationis Latinae exemplar deduceret. Vir videlicet prudentissimus illud quod ad Marcum filium scripserat: « *bonum esse Graecas litteras inspicere, non perdiscere* » in suam utilitatem quoque, usu atque exercitatione expertus, convertere voluit.

LXI. Conscripsit igitur non Graece, ad communem tunc temporis scriptorum consuetudinem, sed patrio sermone, septem historiarum libros, de quorum nomine apud eruditos homines iam ab antiquitate est controversia. Nonnulli enim putant libros universos a Catone ipso non satis pleno nomine « *Origines* » inscriptos fuisse; alii contra censent libros a quarto ad septimum, quos moriens sine titulis necdum perfectos reliquerat, nomen idem per auctionem vocabuli a primis illis invenisse. Operis compositionem atque rerum in singulos libros distributionem ex Cornelii loco colligimus, qui Catonis vitam narravit. In primo res omnes, quas Romani sub regia potestate gesserant *capitulatim* prosequatur, in secundo tertioque, unde quaeque civitas Italica orta esset, exponere et explicare; in quarto bellum Punicum primum continetur, in quinto secundum. Reliqua bella ad praetoriam Servii Galbae, qui diruit Lusitanos, in postremis libris duobus referebat. De ratione, qua in rebus narrandis usus sit, inter eruditos homines fit altera quaestio, cui causam idoneam praebet vocabulum illud *capitulatim*, quod apud Cornelium legitur. Nam censent alii id idem sonare quod *summatim* vel « *κεφαλαιωδῶς* » apud Graecos significat; ex quo, quod orationis solutae genus strictum nudumque in veteribus annalibus vel huiusmodi scripturis invenerat, eo Catonem usum contendunt. Alii Cornelianum *capitulatim* illud rati altera significatione usurpari posse, praeter communem ad id tempus confectionem Annalium — in his enim res gestae ex ordine, annis consulum dinumeratis, sine ullis verborum ornatibus recensebantur — *Origines* in capita pro diversitate

*Origines*

*Nep. Cat. 3.*

Cic. Brut.  
17 et 23.

rerum fuisse redactas putant. Cui opinioni quo potius assentiar Ciceronem auctorem probatissimum et testem induco, qui in Bruto: « *Iam vero Origines* » inquit « *quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent?* » atque addit Catonem in illas orationem rettulisse, quam suadens legem in Galbam ipsemet ille dixerat in senatu.

LXII. Multa in Originibus continebantur, tum quae de Urbis incunabilis, de bellis a regibus gestis, de moribus ac legibus, de signis et prodigiis apud populum Romanum trahebantur, tum etiam quae de ceteris Italicis gentibus per notitias acceptas vel certis documentis constabant. In fragmentis quibusdam, ex libris aliorum collectis, notationes leguntur, quae ad mores exterarum nationum spectant, ut quae de Liguribus notat, qui « *inlitterati mendacesque sunt, et vera minus meminere* »; de Gallia, quae « *duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui* »; ut multae descriptiones locorum, urbium, fluminum, et notitiae carminum antiquissimorum. Quae cum tantam et variam materiam exhibent Romanis Cato Herodotus alter visus est, quippe qui integram antiquitatis imaginem in Originibus suis expressisset. Nimius in bellis referendis fuit, nec tamen bellorum duces nominavit, neque eos singulos collaudavit, ut, praetermissis singulorum nominibus, civitatis universae in primis virtutem et nomen celebraret. Magni Ciceronem Origines fecisse ex iis colligimus, quae in Bruto dicit; nam Catoni amatores deesse putat — sicut multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi defuerunt — quia posteriorum quasi exaggerata altius oratio illius luminibus obstruxisset.

LXIII. Eloquentiae quoque impense operam dedit, ut sibi reipublicae tuendae civilia arma compararet, in eaque Romanorum primus perfectus omnibusque laudibus cumulatus orator evasit. Cum enim integra incorruptaque in eo antiqua morum probitas mansisset, cui multa alia accedebant, in primisque singularis et fere divina mentis acies, quam accepe-

rat a natura, tum totius iuris cognitio, quam diuturno legum studio sibi comparaverat, tum rerum humanarum divinarumque prudentia, ex vitae usu deducta, iis profecto rebus abundabat, quae, ut quis bene loquendi arte valeat, potissimum expetuntur. Teste itaque cuncta antiquitate argutus fuit in diserendo Cato, gravis in deliberando, in invehendo acer, in hominum animis ad sententiam suam trahendis quam maxime potens. In omnium manibus Ciceronis etiam aetate illius orationes ad centum fere quinquaginta versabantur, aliae de republica bene administranda; aliae de legibus suadendis dissuadendisque; aliae de corruptis moribus poena afficiendis; aliae vel pro se, vel pro aliis, vel in alios habitae; aliae denique de iure dicundo de officiisque tuendis, quas omnes temporis iniuria evanuisse etiam nunc doctos homines dolet. Admiratione dignae in primis habebantur tum illa, quam in oppugnatione Numantiae, ut equites ad pugnam cohortaretur, iuvenis admodum dixit; tum innumerabiles illae, quas in censura pronuntiavit, quaeque propter orationis genus acre et vehemens « *acerbae* » appellatae sunt; tum etiam qua, paucis diebus vel mensibus antequam mortuus est, Lucium Galbam a Lusitanis accusatum, reum de repetundis in populi Romani iudicio constituit.

LXIV. De orationibus acutè Cicero sententiam fert, qui eas cum Lysiacis componit et aequat, miraturque quod, cum aequales amarent Lysiam, Catonem contra penitus ignorarent. De huius autem dictione haec habet: « *Antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros ut aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni* ». Pressius quidem Gellius, partibus quibusdam orationum inspectis atque illustratis, in iudicio quod multa in se comprehendit, scite concludit: « *Ea omnia distinctius numerosiusque fortasse an dici potuerint, fortius*

*Orationes de  
republica re-  
genda deque  
moribus*

*Gell. XVI.  
Noct. Att. 1;  
XIII., 17.*

*Cic. Brut. 23.  
39.*

*Cic. Brut. 17.  
68; Gell. VII.  
Noct. Att. 3.*

*Præcepta ad filium* atque vividius potuisse dici non videntur ». Praeter orationes et Origines, libros ad Marcum filium scripsisse certissimum est, atque etiam ad eundem carmen quoddam de moribus misisse. In illis, qui « *Præcepta ad filium* » inscribebantur, quidquid temporibus illis sciri discive potuit, ita investigavit atque conscripsit, ut omnium artium et disciplinarum descriptionem in ordinem quendam redigeret. De omnibus rebus satis scite agebat; nam in aliis libris de iure civili, in aliis de scientia legum, in aliis de medendi arte, in aliis de rethorum quaestionibus, in aliis etiam de iis rebus, quae ad militiam spectant, praecepta tradebat. In reliquiis breves et acutae sententiae quaedam supersunt, quae Graeci « ἀποφθέγματα » dicunt; en unam: « *Vir bonus dicendi peritus* » in qua, quid orator sit, summatim definitur; en alteram: « *Rem tene, verba sequentur* ». in qua res et verba unum idemque esse monet.

*Libri de re rustica* LXV. Libri tres « *De re rustica* » integri intactique manent, nisi quis eos ab indocto quodam retractatos esse suspicetur, quia quae de agricolatione in iis traduntur, non eo ordine plenoque composita sunt, quem nunc in syntagmatis exquirimus. Rem tamen agricolam omnem pertractant. Porro quae a se, cum adulescens in paternis agris pecudibusque versabatur, usu atque cum agricolis consuetudine invenerat, de agrorum colendorum ratione, de pecudum morbis, de operibus in singula anni tempora distribuendis, de mancipiorum condicione, de colonis, de deorum ritibus ac cultu, de rebus omnibus, quae hominum vitam ruri versantium beatam faciunt, aliquo modo didicerat, ea strictis quasi praeceptorum verbis, sacerdotis instar, qui divina homines docet, in communem utilitatem mandat atque commendat. Genus orationis, quo utitur in libris de re rustica, adeo pressum est, adeo familiare atque, sive ab orationum sive ab historiarum fragmentis, diversum et fere discordans, ut non sine causa ducar ad suspicandum eos a Catone fuisse conscriptos, antequam Graecam linguam didicisset. Catoni a nonnullis vitio tribui-

tur quod poetarum iucunditate in rebus rusticis pertractandis careat, quae in Virgilianis carminibus spirat. Equidem id minime minor, siquidem Cato, vir Romanus in primis, prudentia una ducebatur, ex qua ad nihil aliud, quod non aliqua utilitate contineretur, animum suum intendere poterat. Nihilominus et ipse in aliqua operis parte mirifice agrorum laudes celebrat: « *Vinum bonum* » inquit « *quom [veteres] laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonum colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur; mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo, verum ut supra dixi, periculosum et calamitosum. At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur* ».

Praecipuam vero Catonis laudem — etenim iuvat hoc loco iudicium meum de universa eius litterarum agitatione, quod omnia complectatur, proferre — in eo maxime positam esse puto quod, cum scriptores rerum, qui ante eum fuerant, sermone Graeco usi essent, propterea quod Graeca in omnibus gentibus legerentur, Latinum Cato adhibere voluit, ut e cotidiano loquendi usu in litteras hic dilataretur. Neque minorem ex hoc gloriae fructum percepit; nam, Originibus per gentes Italicas regionum omnium propagatis, unum eundemque Latinum totam in Italiam pervulgavit.

## PRIMI RERUM SCRIPTORES

LXVI. Cum hoc Catone aequales suppresve rerum scriptores nonnulli exstiterunt, qui ad illius exemplum in conscribendis historiis Latino sermone usi sunt. In his primum locum tenet *L. Calpurnius Piso*, qui propter frugalitatem *Fragi* appellatus est. Qui cum tribunus plebis anno sexcentesimo quinto post Urbem conditam creatus esset, primus legem de pecuniis repetundis tulit, posteaque censor factus, aliarum etiam legum, quibus rempublicam recte administran-

*Cic. Brut. 27.*  
106.

dam tueretur, aut auctor aut dissuasor fuit. Res omnes Romanorum, ab Urbis exordiis usque ad memoriam suam fere perpetua narratione prosecutus, septem saltem libros confecit, quos alii « *Annales* » nuncupant, alii « *Commentarios* » alii vero « *Historias* ». Si nobis singulis nominibus standum sit, inferri liceat illum tria opera composuisse, quorum duo Cicero ignoravisset; nam hic in recensendis illius operibus nihil aliud praeter orationes et annales nominat. Istorum exstant particulae ad quinque fere et quadraginta, in quarum aliis narratiunculae satis ineptae, vel facta memorabilia, vel facete dicta continentur; in aliis vero notitiae, quae cognitione non indignae videntur. Livius, Gellius, Plinius, Macrobius, testem de rebus, quas referunt, saepissime Pisonem alligant, ex quo eius auctoritatem satis magni apud illos fuisse colligitur; nihilominus Cicero *Annales* exiliter scriptos dicit.

*Liv. I. ab  
Urb. cond. 55;  
II. 48; IX.  
44; V. 9. 25.  
39; loc. aliis  
plur.*

LXVII. Cum eodem autem Catone vel post eum fuerunt *L. Cassius Hemina, Q. Fabius Servilianus, C. Fannius, L. Caelius Antipater, Sempronius Asellio*, alii minores. Hemina primus ab ultima antiquitate narrationi initium fecisse videtur, in eaque rettulisse fabulas, quae de heroibus illis, qui ante conditam Urbem fuerunt, fabulose tradebantur; eamque ad bellum Punicum secundum produxisse. Servilianus, qui anno sexcentesimo undecimo consul fuit, posteaque etiam pontifex, *annales* confecit, quorum mentio est apud Servium scholiastam, atque etiam libros de rebus ad pontificum collegium spectantibus, quos « *De iure pontificio* » inscriptos constat. C. Fannius, qui Panaetium audiverat, historiam conscripsit, de qua est Ciceronis sententia: « *Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspicitur potest, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta* ». Fannii aetate coniunctus L. Caelius Antipater, qui historiam a bello Punico primo ad memoriam suam septem, qui « *Annales* » inscribebantur, libris mandavit. Hunc memorat multis locis Cicero, praesertim in Bruto, ubi luculentum ut temporibus

*Serv. ad Virg.  
I. 3; Macr. I.  
Sat. 16. 25.*

*Cic. Brut. 26.*

illis fuisse scribit; atque etiam in primo libro de legibus, in quo haec leguntur: « *Habuit vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent* ». Huius auctoritate ad fidem sibi faciendam Livius nec non Plinius saepe in suis libris innituntur.

LXVIII. Omnes tamen diligentia et industria, quam in investigandis rebus adhibuit, potius quam orationis genere longe praestitit Sempronius Asellio, qui bellum Numantinum, cui tribunus militum cum Scipione interfuerat, narratione rerum tandemque expleto prosecutus est. Res non extrinsecus tantum indagavit, sed intus penitus perspexit, perspectasque ordine explicavit. Non enim fabulas, quae, ut novitate sua mentes percellunt, ita animos inaniter ad imitationem trahunt, sibi conscribere proposuit; sed clarissimorum hominum res gestas <sup>vita</sup> narrare, ut et delectationem et praeceptorum copiam, quae e vitae usu ducuntur, in aliquam legentium utilitatem praestaret. In fragmentis, quae exstant, historiam negat dinumeratione tantum annorum contineri, vel notationibus iis, quae indicent, quo consule bellum initum sit et quo confectum; quid in bello actum sit et quis triumphans introierit et de quo triumphum egerit victor; his enim, in rebus narrandis, accedant oportet leges latae et consilia, quibus ea omnia gesta sint, quibusve rerum causae et nexus inspiciantur. Haec omnia a Polybio manasse videntur; eadem enim in huius fragmento inveniuntur, quod Angelus Mai abhinc centum annos reperit. Quot libris historias suas continuerit, non certo constat; at amplius viginti fuisse certum est, cum Charisius ex vicesimo primo libro quaedam referat.

His omnibus longe laude scribendi inferiores fuisse censeo *C. Sempronium Tuditanum, Cn. Gellium, Vennonium, Clodium*; nam semel aut iterum eos apud scriptores nominatos invenio, praeter Gellium, ex cuius annalibus quaedam propria et singularia nonnulli grammatici rettulerunt in exem-

*Cic. II. Orat.*  
12 et 13; *III.*  
38; *II. de Nat.*  
*Deor.* 3; *I. de*  
*Leg.* 2. *Liv.*  
*XXI. ab Urb.*  
*cond.* 38;  
*XXII.*, 31;  
*XXIII.*, 6;  
*passim alibi;*  
*Plin. II. Nat.*  
*Hist.* 67. 4;  
*III.* 25. 5;  
*XXXI.* 18. 1.

*A. Mai Romae*  
1827, *II. pag.*  
379.



plum; nihilominus Tuditanus a Cicerone his verbis laudatur :  
*« Tuditanus cum omni vita atque victu excultus atque expo-  
 litus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus »;*  
 sed eius meminit, cum oratores non rerum scriptores recenset.

## COMMENTARIORUM AUCTORES

LXIX. Ex Catonis exemplo, qui in Originibus res, quibus interfuit, litteris commendavit atque etiam orationes suas rettulit, nunnulli vitam suam narrare instituerunt in libris, quos *M. Aemilius Scaurus* primus « *commentarios* » appellavit. Hic nobilissima familia ortus, quae, propter paupertatem in quam inciderat, tamquam ignobilis facta erat — nam pater eius carbonarium negotium exercebat — industrio animo navoque rerum domesticarum penuriam levavit, cursuque honorum, antiqua morum probitate, constantia, prudentia Romano viro dignissima confecit. Anno sexcentesimo trigesimo nono, consul primum, leges de sumptibus et de libertinorum suffragiis tulit, triumphavitque de Gallis. Eodem anno princeps senatus factus est, missusque tribus post annis legatus in Africam, posteroque anno cum Iugurtha Numidisque pacem composuit. Censor deinde renunciatus Aemilianam viam alteram stravit, annoque sexcentesimo quadragesimo septimo iterum consul creatus est. Cum vero respublica ab Apuleio Saturnino tribuno ageretur, Cicerone teste, qui eius gravitatem, prudentiam, consilium quam saepissime laudat, seditionis omnibus restitit. In Populi indicium tamen ob invidiam quam sibi pepererat, saepe venit, insimulatusque corruptionis a Sallustio, qui haec de eo scribit: « *Homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam vidit regis Iugurthae largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polita licentia invidiam accenderet, ani-*

*Cic. Brut. 25.*

*Aur. Vict. Vir.  
 ill. 72.*

*Cic. I. de Off.  
 22, 30; I. ad  
 Fam. 9; alibi  
 praes. Brut.  
 29.*

*Sall. Iug. 15.*

*num a consueta libidine continuit* ». In tot tantisque muneribus publicis totam aetatem versatus, ut agere digna memoratu, ex Taciti sententia, pronum ei magisque in aperto fuit, ita vitam suam narrare ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae praetio adductus, fiduciam potius morum, quam adrogantiam arbitratus est. Tres igitur de vita sua libros conscripsit « *lectu sane utiles* » — ut Ciceronis verbis utar — « *quos nemo legit; at Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem sed neque tam nostris rebus aptam nec tamen Scauri laudibus anteponendam* ».

Tac. Agr. I.

Cic. Brut. 29.  
112.

LXX. Cum Scauro P. Rutilius fuit, ut integritate morum simillimi, ita inter se adversarii atque in populi gratia captanda hostes fere. Magistatus nonnullos obtinuit, postquam ex Numantiae oppugnatione revertit, in qua cum Scipione pugnaverat. Bello enim Iugurthino Q. Caecili Metelli legatus fuit, anno autem sexcentesimo quadragesimo nono consul primum, tum denique proconsul in Asia. Post proconsulatum de repetundis accusatus exiliique poena multatus, Mytilenas primum, deinde Smyrnam se contulit, ibique suspicamur in otio libros de vita sua scripsisse, ut ipse se ab insimulatoribus rerum gestarum testimonio defenderet. Valde Ciceronem dolet eum fuisse exilio multatum neminemque illius causam defendisse, ne illum ipsum quidem; nam cum humilitati defensionis vel exilium vel mortem sibi anteponendam statuisset essetque exemplum innocentiae, cumque illo nemo neque integrior esset in civitate neque sanctior, non modo simplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatus quidem aut liberius causam dixit suam, quam simplex ratio ipsa veritatis ferebat. « *Nunc talis vir* » ait Cicero « *amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commenticia Platonis civitate res ageretur* ». De orationis genere, quo in vita sua describenda usus est, id idem fortasse dici potest, quod de orationibus eius idem Cicero iudicium ferens affirmat: « *Sunt eius orationes*

Cic. I. de Orat.  
53.

*ieiunae: doctus vir et Graecis litteris eruditus, Panaetii auditor prope perfectus in stoicis, quorum peracutum et artis plenum orationis genus scis tamen esse exile nec satis populari assensionem accommodatum. Itaque illa, quae propria est huius disciplinae, philosophorum de se ipsorum opinio, firma in hoc viro et stabilis inventa est ».*

*Cic. Brut. 30.*  
114.

LXXI. In turbulentissimam aetatem illam, quae a Gracchanis seditionibus ad proscriptiones Marii pertinet, Q. Lutatius Catulus incidit, vir singularis in primis, qui maximo pere tum ob humanitatem et integritatem, tum etiam ob eloquentiam a Cicerone laudatur. Cum Mario quintum consule et ipse consul renuntiatus est, cum ter prius magistratum illum frustra petivisset. Livius auctor est eius ope in Vercellarum planitie Cimbros a Mario penitus profligatos fuisse, de quibus tamen, bello confecto, triumphum, populo favente, Marius solus egit. Postquam consulatu decessit, ut causam suam defenderet « *De Consulatu et de rebus gestis suis* » commentarios confecit; cuius rei gratia in id Marii odium venit, ut cum hic rerum omnium potitus est, illum in proscriptorum numerum rettulerit. Quod cum ipse novisset, ut morti ipsi iam adventanti obviam procederet, recenti calce inlito multoque igni percalefacto cubiculo se inclusum peremit. De genere orationis, quo in commentariis usus est, ex Ciceronis verbis diiudicari potest. Etenim hic orationis eius comitatem laudat atque etiam Latini sermonis integritatem, quae perspicui cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis molli Xenophonteo genere sermonis conscriptum ad A. Furium poetam misit.

*Cic. V. Tusc.*  
19; *Val. Max.*  
*V. Mem. 8. 4.*

*Cic. Brut. 36.*  
132.

LXXII. De Cornelio Sulla, qui ad Velleii mentem « *neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest* » nihil hoc loco nobis dicendum est, cum res ab eo gestae, ad historiam reipublicae potius pertineant. Commentariorum nunc scriptorem inquirimus; nam eum, Svetonio Gellioque testibus, « *Rerum gestarum libros* »

*Svet. Gramm.*  
12; *Gell. 1.*  
16; *XX., 6. 3.*

scribere instituisse constat, quos cum mortuus est, ad vigesimum alterum tantum produxerat. Hunc Cornelius Epicadus, Sullae libertus, in sacerdotio augurali calator, imperfectum explevit. Susplicamur illum veri quadam industria atque studio, quantum in fatiosissimo homine esse poterat, res suas enarrasse, siquidem Plutarchus, in illius et Marii vitis scribendis, Sullam ipsum auctorem secutus est, ex eoque dictator opinionem rettulit, ad quam profecto in cuiusdam divini numinis tutela se esse affirmabat. Nihil aut non multum omnino istorum commentariorum omnium manet, eos tamen propter laudes, quibus a veteribus cumulantur, ad perfectionem, quam Caesaris opera habuerunt, accessisse censemus.

## ORATORUM TABULA

LXXIII. In oratoribus, qui post Appium Claudium Caecum in Urbe fuerunt, aetate antecedunt *Q. Fabius Maximus* ille, qui tria nomina invenit: *Verrucosum* primum, a verruca quam in labris habebat; secundum *Oviculam*, ab incredibili morum clementia; *Cunctatorem* tertium, quod, cum in bello Punico secundo dictator creatus esset, nimio satius in re gerenda cunctari visus est; et *Q. Caecilius Metellus*, qui legatus a castris Romam nuntium de victoria parta in pugna contra Hasdrubalem pertulit posteroque anno factus est consul. Illius a Catone apud Ciceronem laudatio commendatur, quam in filium mortuum habuit: « *Multa in eo viro praeclara cognovi, sed nihil certe admirabilius quam quo modo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio quam cum legimus quem philosophum non contemnimus?* » De altero vero nihil aliud tradit, praeter quam quod orator habitus sit, cum Plinius orationem memoret, quam in supremis laudibus patris sui celebrandis dixit.

*Cic. de Senect.*  
4.

*Cic. Brut. 14;*  
*Plin. VII. Nat.*  
*Hist. 45.*

Eloquentem vero fuisse et ita habitum esse *Cornelium*

*Cic. Brut. 15.* *Cethegum* Cicero censet, cuius eloquentiae auctorem et idoneum quidem Q. Ennium citat in libro nono Annalium :  
58.

*Additur orator Cornelius suaviloquenti*  
*Ore Cethegus Marcus Tuditano conlega*  
*Marci filius . . . . .*  
*. . . . . is dictus popularibus ollis.*  
*Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,*  
*Flos delibatus populi . . . . .*  
*. . . . . Suadaeque medulla.*

*Cic. Brut. 19.* LXXIV. Hunc *Cato* secutus est, qui acutus, brevis ab Arpinate dicitur; de quo tamen hoc loco hactenus, nam plura paulo supra de eo, ut oratore quoque, diximus. In Catonis aequalibus maioribus natu, praeter Q. Fabium Maximum et Q. Caecilium Metellum, de quibus proxime locuti sumus, oratores alii recensendi sunt, ut *C. Flaminius* et *C. Varro*, ut *P. Lentulus* et *P. Crassus* et *Sex. Aelius*, ut *P. Cornelius Scipio*, qui *Africanus Maior* appellatus est. Huius orationem Livius refert, quam die anniversario, quo bene ac feliciter cum Hannibale in Africa pugnaverat, ad populum dixit, ut se a suspicionibus captae pecuniae defenderet. Qua oratione Quirites invitavit, ut in Capitolium ad Iovem optimum maximum Iunonemque et Minervam salutandos irent secum, orarentque, ut multos ipsius similes principes haberent.

*Liv.*  
*XXXVIII.*  
*ab Urb. cond.*  
51.

Ceteri Catonis aequales, laude reapse minores, elegantiorum splendidioremque atque ad sophistarum consuetudinem subtiliorem eloquentiam adhibuerunt. Etenim cum in scholis iam rhetores illos et philosophos audivissent, qui catervatim Romam ex Graecia venerant, miratique essent verborum copiam, orationis lumina, ornatus, subtiles abditasque sententias, quibus in dicendo maxime valebant, a presso et nudo tritoque dicendi genere Romanorum desciverunt, ut eadem ratione ac illi, mentes animosque audientium adminiculis

et praestigiis perstringerent, quam ingenua argumentandi vi compellerent iidemque vividioribus coloribus pingerent et quasi fucarent orationes. In huiuscemodi oratorum genere fuerunt multi: *C. Sulpicius Gallus*, *T. Gracchus*, *P. Scipio Nasica*, qui *Corculum* appellatus est, *L. Lentulus*, *Q. Nobilior*, qui *Ennium* civitate donavit, *T. Annius Luscus*, *L. Paulus Aemilius*, *Africani* pater, de quibus quam plurima sciteque dicta apud Ciceronem inveniuntur.

*Cic. Brut. 20.*

LXXV. Vivo etiam Catone, multi minores natu uno fere tempore oratores floruerunt. In his *A. Albinus*, *Ser. Fulvius*, *Ser. Fabius Pictor*, *Q. Caecilius Metellus* qui, cum Macedonia recepisset redegissetque in suam potestatem *Pseudophilippum*, primo *Macedonicus* dictus est, et etiam *Celtibericus* postea, quia *Celtiberos* subegerat. Hic inter oratores habitus est propter orationem illam, quam, accusante *Africano*, pro *L. Cotta* dixit, et nonnullas alias, quarum una contra *Ti. Gracchum*, ut *Cicero* testatur, in *C. Fannii Annalibus* exposita erat. Elogium huius *Metelli* habet *Velleius*: « *Vix ullius gentis, aetatis, ordinis hominem inveneris, cuius felicitatem fortunae Metelli compares. Nam praeter excellentes triumphos honoresque amplissimos, et principale in republica fastigium extentumque vitae spatium et acres innocentesque pro republica cum inimicis contentiones, quattuor filios sustulit, omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui eius lectum pro rostris sustulerunt quattuor filii, unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare quam mori* » In oratoribus quoque *L. Cotta*, qui *Veterator* habitus est, longeque praestantes *C. Laelius* et *P. Africanus Minor*, omnes vero facile superans *S. Galba*. Comparationem inter *Laelium* et *Africanum* *Cicero* instituit, ex qua ita concludit: « *Quamquam ea est fama, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior* »;

*Vell. I Hist.  
Rom. 11.*

*Cic. Brut. 21.*  
82.

additque paulo inferius: « *Ingenii eloquentiae sapientiae denique etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio* ». His omnibus sine controversia *Ser. Galba* praestitit, de quo *Cicero*: « *Is princeps ex Latinis illa oratorum propria tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut ageret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo huius, quem constat eloquentia praestitisse, exiliores orationes sint et rodolentes magis antiquitatem, quam aut Laelii aut Scipionis aut etiam ipsius Catonis, itaque exaruerunt, vix ut apparent* ».

*Cic. Brut. 25.*

Mediocrium in numero oratorum post senectutem *Catonis* extremam fuerunt *L. et Sp. Mummi* fratres, *L. et C. Aurelii Orestae*, iidem et fratres, *P. Popilius*, eiusque filius *Gaius*, denique *G. Tuditanus*, aliique plures, quos memorat *Cicero*.

*Ti. et C. Gracchi*

LXXVI. Aetate, quae subsecuta est, *Ti. atque C. Gracchi* fratres apud populares multum dicendo valuerunt. Qui cum adulescentes in gremio et sermone *Corneliae* matris educati essent, institutique a *Diophane*, rhetore *Mytilenaeo*, eam sibi dicendi copiam et facultatem comparaverunt, qua tamquam armis bonis instructi, a *C. Blossio Cumano* stoico, ut memoriae traditum est, acriter incitati, latis legibus primo de agris aequae in populum dividendis, de adipiscendis aequandisque iuribus ordinum postea, multitudinem universam in patricos optimatesque populariter summovere et concitare potuerint. At cum levem, duce privato *Scipione*, favoris popularis auram experti essent, propter immaturam mortem, quam uterque violenter obiit, tanta laude tantoque honore vitam brevem exornavere, ut diuturna senectute esset multo praestantior. Eorum uterque, alter altero modo, orator summus habitus est. *Tiberius* minus animo aestuans, quam frater, in dicendo concitabatur minus, mollioreque sermone et miserationibus utebatur. *Caius* vero, natu minor, in agendo erat contentior, vehementior in concitandis animi motibus,

qui odio, ira nascuntur, et ut in diversas orationis partes citior difflebat, ita in suggesto se huc illuc convertens se totum movebat, demissaque interdum ex humeris toga, eo elatissimo vocis sonu orationes pronuntiabat et quasi concinebat, ut a servo quodam, vel si repente modum esset praetergressus, vel si in eo esset, ut praetergrederetur, canenti fistula moneri et ad moderationem revocari voluerit. Neminem Cicero pleniorum illo uberiorumque ad dicendum fuisse oratorem putat, immaturoque eius interitu, qui ob pietatem fuit, quam fratri praestare voluit, damnum rem Romanam litterasque fecisse gravissimum censet.

*Cic. Brut. 33.  
125.*

LXXVII. Oratores, qui Gracchorum memoria exstiterunt, cum se civilibus contentionibus commiscuissent, in partes discesserunt. Cum Gracchis *Appius Claudius Pulcher*, Tiberii socer, stetit in primis; tum *P. Mucius Scaevola* augur, qui iuris peritissimus fuit; tum *P. Licinius Crassus*. Nobilitatis fautores contra fuerunt *Q. Caecilius Metellus*, quem proxime nominavi, *L. Calpurnius Piso*, *Q. Aelius Tubero*, *C. Fannius Strabo*, *Livius Drusus*. At vero *C. Papirius Carbo*, quamvis ex eadem *M. Aemilii Lepidi* schola, qui *Porcina* dictus est, cum Graccho profectus esset eademque primo ac ille de republica sensisset, temporibus indulgens, in neutram partem primum se pendere simulavit, dein consul nobilitati favit, postremo *Opimium*, qui *C. Gracchum* necaverat, in iudicio aperte defendit. Pro crimine amicitiae iuris deserti, maximam sua ipse manu poenam persolvit. Nam maiestatis accusatus, propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria se a severitate iudicium liberavit.

*Oratores  
Graecorum  
memoriae*

*Cic. Brut.  
passim.*

LXXVIII. In aetatem, quae inter Gracchos et Ciceronem intercessit, oratores plurimi inciderunt. Tum enim aequales vel suppres *Q. Varius*, *Cn. Pomponius*, *P. Antistius*, qui minores habiti sunt, cum iisque alii innumerabiles fere flourerunt; tum *C. Iulius Caesar Strabo* et *L. Aelius Stilo* multum dicendo potuerunt; tum quoque *C. Aurelius Cotta*,

*Oratores qui  
inter Grac-  
chos et Cice-  
ronem fue-  
runt*



*P. Sulpicius Rufus, Q. Mucius Scaevola Pontifex, L. Licinius Crassus, M. Antonius*, quos Cicero in libris, qui de Oratore inscribuntur, inter sese de omni dicendi arte disputantes inducit. Nulla enim aetas anterior aut posterior, aestuantibus in libertate maxima et quasi licentia partium contentionibus et discidiis, adhibita, tamquam obrussa, rhetorum Graecorum loquendi arte atque ratione, neque amplio rem oratoribus locum dedit, neque ac si extrema moliretur, eorum uberio rem copiam protulit. C. Iulius Strabo igitur — nam missos faciam quos ante hunc nominavi, ut Ciceroni eos laudandos remittam — festivitate et facetiis superioribus aequalibusque suis omnibus praestitit, minime ille quidem vehemens orator, sed nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior, itaque eloquentiae deditus, ut anno, quo aedilis curulis fuit, Cicerone teste, quotidie fere accuratas conciones haberet. Alter Aelius, etsi orator esse nollet, scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; quibus scribendis et ipse Brutus interfuit, cum esset apud eum adolescens, eumque audire perstudiose soleret. In Cotta autem dicendi genus quoddam erat siccum, sincerum, sanum; in Sulpicio grande et, ut ita dicam, tragicum; elegans in Scaevola, urbanum et in severitate ipsa comitate conditum.

LXXIX. Oratores omnes tamen omni eloquentiae genere *L. Licinius Crassus* et *M. Antonius* praestiterunt. Hic, triumviri avus, anno sexcentesimo undecimo post Urbem conditam ortus, ad summos honores per gradus ascendit. Cum enim quaestura, praetura perfunctus esset, proprae torque in Cili- ciam missus de piratis, quos devicerat, triumphum egisset, consul primum, censor deinde renunciatus est. Bello civili actor interfuit, in quo, Marii Cinnaeque iussu, quintum quinquagesimum aetatis annum agens est interfectus. Item Licinius Crassus, eius aequalis, natu tamen minor, vir in republica praestantissimus fuit. Adolescens enim admodum coloniam duxit Narbonem Martium; dein quaestor, tribunus,

*Cic. Brut. 49.  
passim alibi*

*Cic. Brut. 39.  
304; 56. 205;  
de aliis spar-  
sim*

*Crassus et  
Antonius ora-  
tores summi*

aedilis, praetor, consul creatus est, denique anno sexcentesimo sexagesimo altero censor; post quem annum ante tempus vita functus est.

Orationum, quas Antonius habuit, nihil aliud praeter memoriam exstat, nam eas dicere solitus fuit, neque scripsit. In consulatu duas causas egit, quarum unam contra Sex. Titium tribunum plebis dixit, seditiosum civem et turbulentum; alteram pro M. Aquilio, qua in causa peroranda a peccatore huius tunicam diloricavit, ut honestas cicatrices senis imperatoris iudicibus ostenderet. Post censuram G. Norbanum, tum se ipsum lege Varia, tum denique M. Marium Gracchianum defendit. Cum nullas orationes litteris mandavisset, reliquisse eum librum de ratione dicendi Cicero et Quintilianus testantur; de quo libro: « *Hoc solum* » iste inquit « *opus eius, atque id ipsum imperfectum, manet* » At contra orationum fragmenta Crassi hinc inde eruta nonnulla supersunt, praesertim ex illis, quas in Papirium Carbonem habuit, in Marcium Philippum consulem, in Memmium, de colonia Narbonensi, pro Licinia Virgine Vestali, pro Pisone, quae cum laude multis ab auctoribus referuntur.

LXXX. Utrumque oratorem Cicero, Antonium Crassumque, laudibus maximis cumulat. Ille ita promptus ad dicendum erat, ut quae secum ipse domi commentatus esset, ea imparatus et ex tempore dicere videretur. Omnia in agendo ei veniebant in mentem eaque suo quaeque loco in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Sermonem non elegantissimum illum quidem adhibebat, neque tamen admodum inquinatum; cuius vis, et in eligendis verbis posita erat, et in collocandis et comprehensione devinciendis, ut nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigeret, nihil non aptissimum ad sententias ornandas et conformandas proferret. In actione autem singularis erat; gestus enim cum sententiis maxime congruentes adhibebat, vocemque et ad omnes animi sensus significandos variam flexibilemque et, quamvis natura

*Praecipuae  
utriusque  
orationes  
quarum me-  
moria manet*

*Cic. II. de  
Orat. 11 et 28;  
Liv. Epit. 70.  
Quint. II.  
Inst. 15. 7.*

*Cic. Orat. 5;  
Quint. III.  
Inst. 1. 19.*

*Ciceronis de  
Antonio  
Crassoque  
sententiae*

*Cic. Brut. 37.*

subrauca esset, permanentem ad finem. In Crasso summa auctoritas erat, cuius facietiarum et urbanitatis oratorius lepos cum gravitate coniungebatur. Item ut ipse Latine accurata loquendi quidem, sed non exquisita nimis nec odiosa diligentia utebatur, ita in disserendo mirum in modum omnia exponebat atque explicabat. Quid vero ipsi de oratoris arte senserint, ex libris de oratore, in quibus eos Cicero de omni eloquentiae genere scite accurateque disputantes inducit, videre possumus. Graecos oratores negant se esse secutos, rhetorum praecepta aspernantur; hoc unum se semper contendisse, ut in se dicendi genus maiorum genuinum et sincerum instaurarent, affirmant. Nihilominus et eos in oratorum Graecorum lectione assidue esse versatos nonnullis quibusdam indiciis suspicamur.

LXXXI. Acerbissimus oratoris utriusque finis fuit, nam Antonius Marianis sicariis iugulatus est; Crassus vero in maximo honorum cursu, ceu flos succisus, exaruit. Eorum recordatione et memoria Cicero ad tristem doloris sensum et fletus quasi movetur; ac si, dum de illis scribit et loquitur, imminens sui ipsius fatum divinatum sibi praesagiat. Licinius Crassus igitur, ingenium illud propter humanitatem et virtutem immortalitate dignum, cum maxima vehementissimaque contentione animi atque virium in se senatuque ab iniuriis L. Marci Philippi defendendis dixisset, diuturno dicendi labore defatigatus in media oratione corrui, nam ei latus condoluit, sudoreque multo corpus manavit; ex quo cum febris domum rediit dieque septimo obiit lateris dolore consumptus. Illo die, quo postremam causam ita egit « *tamquam cynea fuit divini hominis vox et oratio, quam* » Ciceronis verba refero — « *quasi expectantes post eius interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Fuit [eius funus] luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus; sed ii tamen reipublicae casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso*

Antonii  
Crassique  
acerbissimum  
funus

Cic. III. de  
Orat. 3.

*a dis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur*». Luctuosior tamen M. Antonii obitus fuit. Etenim cum princeps civitatis eloquentiaeque esset iam, civili bello Sullam inter et Marium ardente, a P. Autronio nefario tribuno militibusque quos ipsos eloquentia sua moratus erat, iussu Marii Cinnaeque confossus est. Caput eius, a quo erant multorum civium capita servata, corpore detruncatum sanguineque perfusum, « *in ipsis rostris positum est, in quibus ille rempublicam consul defenderat quaeque censor imperatoriis manubiis ornatat* ».

*Vell. II. His  
Rom. 22.*

LXXXII. Aliis quoque oratoribus eiusdem memoriae tempora infestissima fuerunt. Paucis enim mensibus post Antonii caedem, C. Aurelius Cotta, reus lege Varia factus, aut sponte sua, priusquam sententia ferretur, in exilium abiit, aut e civitate eiectus est. Eodem anno P. Sulpicius Rufus necatus est; eodemque Q. Lutatius Catulus sibi mortem consciscere iussus. Quinque autem annis post, cum curia ab Marii asseclis circumdata esset, editaque strages patrum, qui in illa erant, tres oratores clarissimi Q. Mucius Scaevola, C. Papius Carbo, illius eloquentissimi filius, P. Antistius nefandissimo scelere iugulati; tum anno, qui subsequutus est, Sullae fortuna in melius vertente, C. Censorinus interemptus, pauloque post Cn. Pomponius et P. Murena, qui exercitum Sullae secuti erant, cum Marianis, qui supererant, bellum conficientes in pugna perierunt. Quibus oratoribus intercisis vel civili bello absumptis, ingentissima iudiciorum, legum, iuris, humanitatis vastitate facta, rostra et curia, in quibus illi habitare consueverant, statim brevi tempore obmutuerunt.

*Cic. III. de  
Orat. 3.*

#### EXPLANATORES LEGUM IURIS CONSULTI SAPIENTES VIRI

LXXXIII. Scientia legum et iuris in bene constituta civitate, sive iis qui in rempublicam moderandam se conferunt quam maxime necessaria, sive privatis quoque civibus honestissima, ex iudiciorum consuetudine nata est, in quibus

oratores, iure controverso, et ad respondendum et ad cavendum legum auctoritate aliter atque aliter utebantur. Legum igitur interpretandarum munus, ac si divino quodam iure manaret, augurum et pontificum collegia sibi proprium assumpserunt. *P. Aelius Paetus*, iurisconsultorum qui primus habetur, augur fuit, inauguratusque in locum *M. Marcelli* anno quingentesimo quadragesimo quinto post conditam Urbem. Cum eo et frater eius *Sextus* in doctrina iuris condenda ad formamque et corpus redigenda versatus est. Nam hic, cum genera quaedam agendi deesse comperisset eaque composuisset, librum evulgavit tribus partibus constantem, in quarum primam leges XII Tabularum, in secundam earum interpretationem, in tertiam actiones redegit, quas ipse conscripserat. Propter hanc rerum partitionem liber « *Tripertita* » appellatus est, vel etiam a scriptoris nomine « *Ius Aelianum* » in quo, ut *Pomponius* testatur, cunabula iuris inerant. Frater *Aelius* uterque saepe a veteribus laudatur. Ille a *Pomponio* praesertim, ob maximam scientiam, quam in profitendo habuit, hic et ab eodem maximeque a *Cicerone*, qui cum multis in locis de eo commemoret, in libro de Oratoribus eum propter iuris civilis scientiam *egregie cordatum hominem* a summo poeta *Ennio* appellatum esse refert.

LXXXIV. Aeliorum aequalis *P. Cornelius Scipio Nasica* fuit, quem pontificem et facetissimum hominem fuisse nos *Cicero* docet, et ob prudentiam a senatu domo in via Sacra donatum esse, quo facilius a civibus de legum iurisque quaestionibus consuleretur. Tum quoque *L. Atilius* floruit qui, cum prudentissimus in iure civili putaretur, *Sapiens* appellatus est aliter ac *Cato*, qui multarum rerum usum haberet. Leges XII Tabularum et *Atilium* interpretatum esse ex eodem *Cicerone* novimus, qui tamen illum quaedam non satis intellexisse censet. Atque etiam *Q. Fabius Labeo*, qui pontifex fuit, quique non iuris modo, sed et antiquitatis peritia plurimum valuit. Tum *Catones* duo fuerunt, quorum

*Liv. XXVII.*  
*ab Urb. cond.*  
36.

*Pomp. I. Dig.*  
2. 2. 38.

*Cic. I. de*  
*Orat. 45. 198.*

*Cic. II. de*  
*Orat. 68. 276.*  
*Pom. I. Dig.*  
2. 2. 37.

*Cic. II. de*  
*Leg. 23.*

*Liv. XL., ab*  
*Urb. cond. 42;*  
*Cic. Brut. 21.*  
81.

alter *Censor*, de quo paulo supra locuti sumus, appellatus est, alter *Licinianus*, huius filius qui patre vivo obiit. Hic patrem ipsum iuris scientia superavit regulamque *Catonianam* reliquit, quae ad testamenta spectasse videtur. Tum denique *M. Fulvius Nobilior*, qui *Ambraciam* cepit, et bonis litteris atque artibus, non minus quam legum iurisque notitia, inclaruit.

LXXXV. Post *Catones* fuerunt *M. Manilius*, *Iunii Bruti* duo, *Mucius Scaevola*, quorum primum tantam sui ipsius copiam civibus omnibus fecisse memoriae proditum est, ut ex eo, vel transverso in foro deambulante, vel in solio sedente domi, non consilia de iure civili, quod maxime calebat, sed de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio, sciscitarentur. Hic igitur tres de iure civili libros composuit, in quibus « *venalium vendendorum leges* » continebantur. Deinde *Bruti*, quorum alter tres, ut apud *Ciceronem* invenio, vel septem, ut *Pomponius* in *Digestis* testatur, de iure civili libros reliquit; alter qui, ab amicitia cum *Gracchis Gracchanus* dictus est, plura de potestatum iure scripsit. Tertius, qui pontifex creatus est, pontificem bonum neminem esse aiebat, nisi qui ius civile cognovisset, in quo pluris quam ceteros eum valuisse censemus, siquidem decem libros de illo reliquit. A tribus iurisperitis his, de quibus nunc sermo est, *Pomponius*, in hac re auctor probatissimus, ius civile omne conditum esse credit.

LXXXVI. In iuris consultorum numero etiam *P. Licinius Crassus Dives* recensendus est, quem ditissimum et nobilissimum fuisse eundemque eloquentissimum et iuris peritissimum atque etiam pontificem maximum *Gellius* refert. Tum etiam *C. Marcius Figulus*, cuius mansuetudinem iurisque scientiam *Valerius Maximus* nobis commendat; tum quoque *P. Rutilius Rufus*, stoicus acerbe severus qui, *Cicerone* teste, multa opera multaque industria fuit, quae propterea gratior erat, quod idem magnum munus de iure respondendi

*Ulp. XXI.*  
*Dig. 1. 10. 1.*

*Varr. VI. de*  
*Ling. Lat. 33.*

*Cic. III. de*  
*Orat. 33. 133;*  
*I., 58. 246.*

*Cic. II. de*  
*Orat. 55. 223;*  
*Pomp. I. Dig.*  
*2. 2. 39.*

*Cic. II. de*  
*Leg. 19. 47.*  
*Cic. III. de*  
*Leg. 20. 49.*

*Gell. I. Noct.*  
*Att. 13. 10.*  
*Val. Max. IX.*  
*Mem. 3. 2.*

*Cic. Brut. 30*  
*113.*

*Cic. V. Tusc.*  
38. 112.

sustinebat; et *C. Livius Drusus*, cuius domum a consultoribus compleri solitam accepimus, nam qui sua non viderent, eum caecitate iam laborantem, adhibebant duces. Tum denique *Mucii Scaevolae* eiusdem nominis alii duo floruerunt — nam scientia iuris in Scaevolis, postquam *P. Mucius*, de quo proxime locuti sumus, in gentem suam intulit, laus quaedam tamquam familiae fuit — quorum alter, qui augur nuncupatus est, ut aetate, ita maior fama fuit; alter vero, qui pontificis nomine distinguitur, iuris peritorum eius memoriae omnium praestantissimus existimatur.

*Cic. de Amic.*  
I. 1; I. de  
*Orat.* 45. 200.

*Cic. IV. ad*  
*Att.* 16. 3.

*Cic. Brut.* 39,  
145; I. de  
*Orat.* 39. 180.

*Val. Max.*  
*VII. Mem.*  
15. 6.

*Liv. Epit.* 86.

*Q. Mucius Scaevola* augur ille igitur est, quem Cicero et in libris de Republica et in illis, quos de Oratoribus scripsit, cum clarissimis aequalium disputantem inducit; ad quem ipse a toga virili sumpta ita a patre deductus fuit, ut quoad posset et liceret; a senis latere numquam discederet; cuius domus quotidie summorum hominum splendore tamquam civitatis oraculum frequentabatur. Hic, ex Ciceronis sententia, minime quidem orator fuit, sed philosophus stoicus in Graecorum doctrinis versatus, et iuris in primis peritus atque in senectute etiam facetus ioculatorque. *Q. Mucius Scaevola* alter, qui *Pontificis* nomen habuit, in clarissimorum Romanorum numero cum Appio Claudio, cum Catone est. Non enim varietate doctrinarum tantum, iuris scientia, argumentorum exemplorumque copia, qua in disserendo utebatur, quibus laudibus a Cicerone duobus locis *iurisperitorum eloquentissimus eloquentium iurisperitissimus* dicitur; non duodeviginti libris, quos de toto iure reliquit, non illo, qui liber singularis « δδωγ » inscribatur; non clarissimorum discipulorum frequentia, qui ex ipsius schola provenerunt, commendatur, sed magis vitae innocentia et sanctitate: hac meruit, ut per senatus consultum magistratibus in provinciam Asiam iturus, quam ipse administraverat, in exemplum proponeretur, sed multo magis animo firmissimo, quo audacis insanissimique *C. Fimbriae* in se iris concitatis, primum

in C. Marii funere vulneratus est, deinde in vestibulo aedis Vestae a Marii satellitibus vulnere iam sanatus occisus.

LXXXVII. Propter similitudinem et convenientiam maximam, qua iuris scientia cum studio sapientiae quadam quasi naturae cognatione coniungitur, viri ipsi fere omnes, quos in iuribus legibusque et indagandis et definiendis versatos esse diximus, ut philosophiam totam coluerunt, ita in illam eius partem magis pervestigandam incubuerunt, in qua de hominum moribus agitur. Ut enim mores hominum legibus continentur, moderantur, corriguntur, ita leges ex consuetudine vitae tamquam ex fontibus suis nascuntur. Hac de causa antiquissimum in Romanis studium sapientiae Cicero credit, quamvis ante Laelii aetatem et Scipionis nullum reperiat, quem appellare nominatim possit. Etenim civitatis principes, qui stoicum Diogenem et Carneadem academicum disputantes audiverant, ad studia tantum doctrinae illorum excitati, amplissimam bene vivendi disciplinam vita magis, quam litteris, prosecuti sunt. Ex stoicorum umbraculis C. Blossius Cumanus provenit, qui sapientiam, quam professus erat, nullis libris consignavit, sed morte sibi stoice illata confirmavit; post hunc Q. Aelius Tubero, vita severus et congruens cum disciplina, quam colebat, et Q. Mucius Scaevola, qui in philosophia clarior fuit, quam in arte dicendi. Omnium postremus, qui ante Ciceronis aetatem floruerunt, L. Aelius Praeconinus Stilo, qui cum epicurei totam Italiam occupavissent, stoicus esse voluit. Illis igitur civitatis principibus silentibus primum, deinde etiam sapientibus his, quos supra recensui, C. Amafinius ex epicureorum scholis exstitit dicens: « cuius libris editis commota multitudo contulit se ad eam potissimum disciplinam, sive quod erat cognitu perfacilis sive quod invitabantur illecebris blandis voluptatis, sive etiam quia nihil erat prolatum melius, illud, quod erat, tenebant ». Post Amafinium multi, eiusdem aemuli rationis, multa scripserunt; at haec cum libris corruerunt; ex iuris consultis

Cic. IV.  
Tusc. 3. 5.

Cic. de Amicit.  
11. 37; Brut.  
31. 17; 26.  
102; I. de  
Orat. 11. 45.

Cic. Brut. 56.  
206.

Cic. IV. Tusc.  
3. 6.



his apud Ciceronem veteresque alios scriptores *Rabirium* tantum et *Catium* nominatos invenio.

LITTERATI RHETORES RERUM NATURALIUM SCRIPTORES

LXXXVIII. Post Catonis aetatem, quem ex Originibus constat quantum inter aequales cognitione Italicarum quoque antiquitatum praestiterit, generibus iam litterarum fere omnibus ad maturitatem progredientibus, viri docti nonnulli eruditique, non minus Graecorum exemplo impulsu eorum, qui Romae publice doctrinas suas profitebantur, quam sua sponte librorum legendorum consuetudine invitati, studiosius frequentiusque quam antea in exercitationes illas se contulerunt, quibus tota litterarum pertractatio continetur. Alii igitur poetis explicandis operam dederunt, ut eorum genera notarent, fabulas in iis indagarent, has a rebus veris distinguerent; alii vetustissima rerum gestarum monumenta, leges antiquitus scriptas, tabulas a pontificibus confectas, ceteraque huiusmodi arripuerunt, inter sese contulerunt, notationibus animadversionibusque illustrarunt; alii ex orationibus Romanorum vel ex Graecorum libris rhetoricis normas et regulas eruerunt, in quibus dicendi artem sitam esse crediderunt; alii ad veteres scripturas emendandas vel ad interpretandas verborum obsoletorum significationes se converterunt; alii denique in statuendis formulis et rationibus recte scribendi versati sunt, quas Graece « ὀρθογραφίαν » dicimus. Studium rerum istarum prope infinitarum, quibus poetarum tractationes continentur, *Crates*, grammaticus Pergamenus, qui ex patria *Mallotes* appellatus est, in Urbem intulit. Hic, cum ab Attalo rege bellum Punicum primum inter et secundum Romam missus esset, cumque, lapsus in cloacae foramen crus sibi fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus, plurimas acroases fecit; assidue de poetica disseruit,